

vanum usurpetur (Ex. XX, 7) vel assidue in ore habeatur (Eccli. XXIII, 10), licet ibi praecipue juramenta superflua feriantur. Ex iis autem quae de blasphemia dicta sunt (n. 293, III), liquet idem cum proportione dicendum esse de inutili et irreverenti usurpatione nominum B. M. V. vel Sanctorum.

Potest omnis irreverentia et culpa removeri si sancta illa nomina pia intentione per modum invocationis adhibentur. Gravis vero culpa, si quando in tali usurpatione adesset, potius repetenda foret e pravo affectu interno, nempe irae vel contemptus formalis in Deum; sed ipsa externa actio seu prolatio verborum venialis maneret.

Aliqui AA. (ex. gr. Voit, Th. Mor. I. n. 514) censent leviter peccare eos qui nomen diaboli colloquiis intermiscendi consuetudinem habent. Rationem tamen debilem afferunt, scil. quod sit saltem contra decentiam inimicum christiani populi tam crebro nominare. Ideo melius negatur per se ullum peccatum in hac consuetudine reperiri. (Gury, I. n. 298) Neque, in nostris regionibus, inde timendum est scandalum, nisi talibus interjectionibus uti solerent sacerdotes vel religiosi: in iis enim haec consuetudo indecens censeretur.

CAPUT II.

DE JURAMENTO.

§ I. DE NATURA ET DIVISIONIBUS JURAMENTI.

298. I. Juramentum est invocatio Dei in testem alienius rei. Scilicet particularia facta hominum solent confirmari per testes. Sed quandoque humanum testimonium ad hunc finem non est sufficiens, tum propter defectum veracitatis humanae, tum quia homines ignorant multa, ut futura vel cordium occulta, de quibus tamen expedit ut certitudo aliqua habeatur. Ideo recurritur ad testimonium Dei, qui nec mentiri potest nec quidquam ignorat. (2. 2. q. 89. a. 1) Adducitur autem Deus in testimonium, eo sensu quod jurans, quantum in se est, cupiat ac velit Deum id quod jurat testari et manifestare, si et quando illi placuerit, sive in hac, sive in altera vita, tamquam quod ab eo sit cognitum et verum. (S. Alph. n. 133) Hinc sequitur major certitudo rei juratae eo quod jurans, qui supponitur Deum timere, non ausus esset Deum in testem invocare et se in hac alterave vita divinae vindictae exponere nisi res vera foret.

Liquet juramentum esse actum latria. Jurans enim invocatur testimonium divinum ad confirmanda ea quae dicit, ac proinde profitetur Deum esse omniscium et infallibilem: quod sane summam reverentiam continet. (S. Th. I. c. a. 4)

II. Juramentum fieri potest, non tantum per *expressam*, sed etiam per *implicitam* Dei invocationem. Implicite autem invocatur Deus cum juratur per creaturas in quibus *speciali* ratione divina attributa elucet. Sic qui jurat per caelum intellegitur jurare per Deum qui in caelis est (Matth. V, 34); qui jurat per Evangelium intellegitur provocare ad Deum cujus veritas in Evangelio continetur (S. Th. I. c. a. 6). etc. Quatenus autem creaturae hac speciali ratione divina attributa prae se ferant, non ita liquet. De quibusdam nullum esse potest dubium: sic certo jurabit qui in testimonium appellat sacramenta, crucem, etc.; non jurabit qui provocat ad barbam, Jovem aliosve deos antiquatos. Quandoque solutio pendebit a ratione qua in his locis temporibusque res communiter considerari soleat. Sic qui jurat *per solem* ab aliis Deum invocare (D'Annib. II. n. 23), ab aliis joculari censetur (Ball. P. n. 22): posterior interpretatio magis cum nostris moribus congruit.

Insuper invocatio Dei in juramento fieri potest vel verbis vel actione aliqua, ut erectione digitorum, tactu Evangeliorum, vel utroque simul, ut e praxi notissimum est.

299. III. Dividitur juramentum ratione materiae in *assertorium* et *promissorium*. Assertorium est quando divinum testimonium inducitur ad asserenda praesentia vel praeterita; promissorium, quando idem inducitur ad confirmandum aliquid futurum. Ratio hujus posterioris vocabuli inde sumenda est, quod plerumque adhibetur ad confirmandam promissionem, addendo obligationi fidelitatis vel justitiae obligationem religionis; potest tamen fieri etiam sine ulla promissione, puta si quis jurat se jam numquam ludis aleatoriis participaturum esse. In promissorio juramento semper includitur assertorium: nam sic jurans imprimis Deum adducit testem *praesentis* suae intentionis se obligandi et implendi suo tempore quod promittit. (D'Annib. II. n. 25)

Ad promissorium refertur etiam illud quod quidam comminatorium vocant, ex. gr. "per Deum, te ad judicem deferam, si iterum te furantem deprehendero!" isdem ergo subjacet regulis ac promissorium.

IV. Ratione modi quo Deus invocatur, dividitur juramentum in *contestatorium* et *exsecratorium* seu imprecatorium. Prius illud est quo Deus simpliciter ut testis invocatur; posterius, quo non solum ut testis, sed etiam ut vindex invocatur, cum jurans se vel alium dilectum, vel

aliquid sui aut suorum subiecit Deo puniendum si falsum profert, dicendo ex. gr. "Ita me Deus amet, adjuvet; puniat me Deus, etc.", Probabilius autem juramento execratorio non accedit (ut quidam autumant) peccatum speciale contra caritatem, cum falso juratur: nemo enim ex animo optat mala sibi evenire, sed potius sperat Deum haec illaturum non esse. (Bus. ap. S. Alph. n. 140)

Omnes ergo divisiones juramenti sunt ejusdem speciei moralis, cum semper tota vis actus huc redeat ut Deus in testem adducatur. Quare in confessione non erunt varia illa discrimina explicanda. (S. Alph. n. 142; Ball, P. n. 23)

300. V. Ut fiat *verum juramentum in foro conscientiae*, duo requiruntur et sufficiunt:

1^o Intentio saltem virtualis Deum in testem invocandi: nam oportet ut juramentum sit actus humanus, quatenus est non tantum locutio quaedam, sed invocatio Dei in testem.

Hinc non jurant qui verba quidem juramento apta proferunt, sed diserte jurandi intentionem excludunt, vel quidnam sit juramentum ne implicite quidem apprehendunt, ut contingere potest in rudibus. Confessarius ergo imprimis inspicere debet qua intentione verba juratoria prolata fuerint: nam ab ea plurimum pendet praeteritum peccatum vel futura obligatio. (Ball. P. n. 5)

2^o Verbum vel signum quo haec intentio manifestetur. Nam, ut Deus aliis tamquam testis detur, oportet ut id ratione sensibili eis declaretur. Ita verius dicendum opinamur cum Suar. (tr. 5. l. 1. c. 13. n. 15), D'Annib. (II. n. 24) etc. Ideo non censemus, verum juramentum factum esse ab eo qui falso existimasset se jurare adhibendo formulam ineptam, puta "per fidem meam, per honorem meum, etc." Manifestum est hujusmodi hominem *internam* malitiam perjurii contraxisse, si tali formula ad falsitatem confirmandam usus fuerit.

Plerique tamen AA. ut Sanch. (Dec. l. 3. c. 2. n. 12), Bus. ap. S. Alph., (n. 134) etc. docent, in foro conscientiae, jurare eum qui interius habet praedictam intentionem, etiamsi nulla verba adhibeat vel utatur verbis nullo modo importantibus juramentum, sed quae juratoria esse putet. Discrimen illud forte magis est de vocabulis quam de rebus. Vix tamen concipitur quid sit juramentum pure mentale: nam si esset assertorium, non apparet quare eliceretur, cum prorsus ineptum esset ad fidem faciendam; si promissorium foret, non videtur discrepare a voto.

301. VI. Quando formulae vel signa ex seipsis vel secundum consuetudinem vigentem apta sunt ad invocationem Dei in testem, *praesumendum est* eum qui iis usus est verum juramentum elicuisse et

consequenter, si id promissorium fuit, ad rem promissam obligari. Insuper tales formulae vel signa usurpare non licet sine debitis condicionibus, vel, si consuetudo ea adhibendi contracta fuit, haec prorsus derelinquenda est, fere ut dictum est supra (n. 296) de consuetudine proferendi formulae blasphematorias. Nam gravis injuria Deo irrogatur, saltem si quis (ut fere contingit) has jurandi formulae promiscue adhibet, non perpendens utrum vera confirmet an falsa. (Lehmk. I. n. 408) Cum rudibus tamen attende ad ea quae ad calcem n. 295 ex S. Alph. allata sunt.

Propter obligationes hoc asserto statutas, fuse investigare solent DD. quatenam formulae habeantur tamquam vera juramenta, quatenam ad jurandum ineptae sint et proinde, secluso scandalo, licite adhibeantur. Quaedam tantum exempla subjungemus:

1^o Non censetur verum juramentum elicere qui simpliciter dicit: "Id tibi juro", nisi id fiat in externis adjunctis, quae satis indicent juramentum exspectari, puta in judicio. (S. Alph. n. 136) Ratio assignari potest quod, licet verbum *juro* per se aequivaleat hisce *invoco Deum in testem*, quae certe sensum juratorium referunt, usus tamen effecit ut in colloquiis diminuto sensu accipiatur pro vehementi affirmatione.

2^o Non sunt habendae tamquam juramenta affirmationes quibus reges fidem suam principis obstringunt, viri nobiles vel militares ad honorem suum (parole d'honneur) appellant, sacerdotes testimonium suum per suam consecrationem fulciunt. Haec quidem saepe in foro externo tamquam juramento aequivalentia habentur, sed, ut ex ipsis formulis liquet, Dei invocationem, qualis a ceteris exigi solet, non continent. Diserte id de sacerdotibus declarat Jus Can. (Caus. 2. q. 5. can. 4): "Presbyter vero, vice juramenti, per sanctam consecrationem interrogetur; quia sacerdotes ex levi causa jurare non debent." (Ball. P. n. 9)

3^o Formulae: "Deus novit, Deus testis est, Deus novit conscientiam meam, coram Deo loquor, etc." et similes, dupliciter adhiberi possunt: vel *enuntiative* tantum, ad ostendendam perfectam considerationem loquentis et ad majorem fidem dictis conciliandam, vel *invocative*, ut Deus in testem vocetur. Igitur ab intentione loquentis pendet utrum haec habenda sint tamquam juramenta necne. Quare neque gravis est obligatio extirpandi consuetudinem talia proferendi, nisi adsit grave scandalum.

4^o Communiter non sunt juramenta assertiones quibus aliquis se obnoxium facit alicui calamitati nisi res asserta vera sit, ex. gr. "Amputetur mihi caput, si mentiar." Solent enim dici non per modum juramenti execratorii, sed per modum sponsionis. (S. Alph. n. 143) Quandoque tamen ex intentione loquentis fierent vera juramenta, praesertim si quis se subjiceret poenae in qua communiter Deus tamquam peculiariter interveniens consideretur, ex. gr.: "Fulgure inteream nisi vera dicam."

Id tamen raro contingere opinamur, etiamsi quis dicat: "Diabolus me auferat nisi res ita se habet."

5^o Juramenta non videntur formulae: "per conscientiam, per conscientiam animae meae," quia tantum significant hominem loqui ex dictamine conscientiae et notitia veritatis. Formulam vero "per animam meam," S. Alph. (n. 135) opinatur probabilius esse juratoriam, eo quod in anima singulariter resplendet Deus, qui propterea censetur in testem adduci. Attamen, cum haec specialis relatio animae ad Deum non soleat adverti a loquentibus (Ball. P. n. 16) et formula ipsa sensum minime juratorium habere possit, puta: "assumo in animam meam morale periculum hujus rei," (Sanch. Dec. l. 3. c. 2. n. 29), putamus solutionem pendere ab intentione proferentis.

6^o Regulariter non habetur juramentum quando res asserta comparatur veritatibus fidei, dicendo ex. gr.: "Hoc tam verum est quam Evangelium, tam certum quam Deus est," etc. Non solet enim haec veritas fidei adduci in testimonium, sed tantum asseri unum verum esse sicut et alterum. Quidam hanc comparisonem blasphemiae insimularunt; sed hoc verum non est, nisi loquens (quod rarissimum erit) intenderet significare tantam esse, secundum aequalitatem, in suo dicto certitudinem, quanta sit in ea veritate fidei. (Sanch. l. 2. c. 32. n. 31)

§ 2. DE CONDICIONIBUS IN JURAMENTO REQUISITIS.

302. Tres condiciones communiter omnes AA. ad liceitatem juramenti requirunt, quae in hoc S. Scripturae effato indicantur: "Jurabis: vivit Dominus, in veritate et in judicio et in justitia." (Jer. IV, 2) Singulas breviter explicabimus.

I. Veritas juramenti requirit ut res asserta sit vel saltem bona fide existimetur vera.

Ad hoc autem generatim sufficit (S. Alph. n. 148) aliqua certitudo moralis seu probabilitas quae, ob defectum rationis oppositae, ad quamdam moralem certitudinem pertingat. Non liceret tamen juramento asserere quicquid licite affirmatur, ex. gr. aliquem fecisse hodie quae scis ab eo quotidie fieri solere: nam usus humanae conversationis postulat ut non tam firma certitudo requiratur ad aliquid parvi momenti simpliciter affirmandum. (Lehm. I. n. 410) In judicio autem, ut aliquid jurejurando affirmetur, requiritur plena certitudo ad arcendum periculum nocendi; si quid cognoscitur cum probabilitate, ex. gr. e testimonio viri fide digni, licebit tantum jurare hoc haberi ut probabile vel fuisse auditum.

Defectus hujus condicionis, nisi excuset ignorantia vel defectus deliberationis, est semper grave peccatum. Nam "committitur gravis in Deum irreverentia, quippe cum adducatur in testem falsitatis, quasi vel ipse veritatem nesciat, vel velit aut possit decipere testando falsum. Neque hic excusat levitas materiae: quia, sive haec sit gravis sive levis, seria sive jocosa, aequaliter tamen repugnat Deo testificari falsum, et tale juramentum dicitur perjurium." (Bus. ap. S. Alph. n. 147)

Graviter quoque peccat qui ab altero exigit juramentum, sciens eum esse pejeraturum: quod tamen supponendum non est quamdiu aliquod dubium manet. Excipe, nisi justa causa et necessitas exigat: quia tunc perjurium ex sola pejerantis malitia sequitur, nec alter moraliter censetur illius causa, cum utatur suo jure. (n. 14) Talis autem causa praecipue habebitur in judicio, tum a iudice, tum a partibus vel earum vices agentibus; extra judicium, causa praesertim occurret ubi contractus aliquis juramento firmandus est. (Ball. P. n. 45 seqq.)

Quatenus liceat jurare cum restrictione mentali, commodius explicabitur ubi de octavo Decalogi praecepto, n. 417.

303. II. Judicium in juramento requirit ut cum discretione, prudentia, consideratione ac reverentia, non sine necessitate aut gravi causa fiat. Attamen, juxta S. Alph. (H. Ap. tr. 5. n. 14), sufficit ut adsit causa rationalis.

Defectus hujus condicionis non constituit nisi culpam levem: non enim videtur gravis irreverentia in Deum committi eo quod in testimonium rei nullius vel parvi momenti vocetur, dummodo serventur reliquae condiciones. Id enim fere ad vanam divini nominis usurpationem redit. (Ball. P. n. 33) Hinc, si quis consuetudinem habet multiplicandi juramenta, servat tamen duas alias condiciones, non obligatur sub gravi ad talem consuetudinem emendandam: siquidem haec non est nisi peccatorum venialium.

III. Justitia aliter intellegenda in juramento promissorio, aliter in assertorio.

In promissorio, ad quod maxime haec condicio pertinet, justitia requirit ne jurans intendat se ad aliquid illicitum obligare. Quodsi hujus juramenti objectum est graviter malum, ex. gr. aliquem occidere, exsequi quaelibet jussa ducum alicujus sectae occultae, inter omnes convenit grave peccatum contra religionem accedere promissioni de se graviter malae: nam gravem irreverentiam Deo irrogat qui se divina auctoritate ad peccatum mortale quasi obligat, implicite supponens Deo probari hanc malitiam. Si vero objectum ejusdem juramenti est tantum leviter malum, controversatur utrum graviter an leviter religioni adver-

setur. Prius probabilius tenendum videtur cum S. Alph. (l. 4. n. 146); sed posterius multis praeplacet (cfr. Bus. ap. S. Alph. l. c.) et certe probabile est.

In assertorio, defectus justitiae non oritur ex eo quod illius objectum illicitum est, sed ex eo quod actus asserendi rem aliquam est illicitus. Jamvero regulariter talis defectus, quatenus adversatur religioni, est venialis, quia tunc Deus in testem adhibetur tantum ut alii certiores fiant de re quae vera sit (ut supponitur), sed cum peccato dicatur: quae injuria per se non est gravis. Attamen grave peccatum fieret si juramentum assumeretur tamquam instrumentem gravis peccati efficacius promovendi, puta ad firmandam gravem detractionem: nam magnam irreverentiam committit qui nomen Dei assumit ad gravem injuriam proximo faciendam. Sed probabilius leve tantum peccatum contra religionem faceret qui juramento firmaret detractionem levem vel narrationem qua se de peccato commisso jactavit. (S. Alph. n. 146; Lehm. I. n. 412)

§ 3. DE OBLIGATIONE ET RELAXATIONE JURAMENTI PROMISSORII.

304. I. In juramento promissorio affirmatur primario *praesens intentio* exsequendi id quod jurans se facturum esse testatur. (n. 299, III) Hinc peccat graviter qui non habet animum rem exsequendi, sive parva sit, sive magna, vel qui dubitat utrum facturus sit necne quod jurat, vel qui putat rem illam esse sibi moraliter impossibilem ita ut nullam probabilem rationem illius exsequendae cernat. (S. Alph. n. 172)

II. Illicitum est *ficte* jurare, i. e. sine animo jurandi vel sine animo se obligandi ex virtute religionis, ut patet e prop. 25^a ab Innoc. XI damnata: "Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive sit gravis. Hoc autem peccatum grave constituet si ficte jurans non habet animum implendi id quod exterius promittit, vel si agitur de iis adjunctis in quibus aliquis, ob grave praeceptum Superioris vel contractum magni momenti, juramentum emittere tenetur, ut contingit praesertim in re judiciali: siquidem hic videtur gravis abusus nominis Dei et notabilis enervatio juramenti, cum hac ratione jam nemini constare possit utrum is a quo juramentum in confirmationem veritatis magni momenti postulat, reapse Deum in testimonium inducat necne. Insuper, quando abest animus implendi id quod ficte promittitur, exterior ille latriae cultus ad quem pertinet juramentum, exhibetur rei falsae, quatenus haec testimonio Dei comprobatur, quod similitudinem habet cum idololatria materiali. Ubi vero haberetur animus implendi rem

quae sub juramento promittitur, neque supra dicta adjuncta adessent, communiter censent DD. peccatum tantum leve fieri. (Sanch. Dec. l. 3. c. 6. n. 8 seqq.; S. Alph. n. 172)

Idem quoque applicari potest juramento assertorio quod ficte tantum emittatur.

Patet in his casibus juramentum, defectu intentionis, nullum esse (n. 300) ideoque nullam inducere obligationem ex religione. Quandoque tamen posset dari obligatio servandi indemnem eum qui per fictum contractum et juramentum laesus fuisset. (n. 585)

305. III. Praeter illam praesentem intentionem, in omni juramento promissorio, etiam non comitante contractum, assumitur secundario *obligatio implendi suo tempore* id quod quis se executurum esse declarat: patet e natura talis juramenti.

Certe igitur peccat qui, nulla justa ratione excusatus, omittit implere quod promisit. Sed in hoc defectu fidelitatis, alii vident semper grave peccatum, alii rectius grave vel leve, pro quantitate promissionis quae negligitur. Ratio hujus benignioris sententiae, quam S. Alph. (n. 173) non minus probabilem et forte probabiliorem appellat, haec est: omissionem promissionis sincera intentione elicite non esse mendacium, sed infidelitatem; eum ergo qui non impleat quod sincera intentione juraverit, non facere Deum testem mendacii, sed tantum infideliter agere in re promissa sub divina auctoritate. Unde, sicut in violatione voti, ita et in omissione obligationis ortae e juramento promissorio datur materiae parvitas. (Suar. de Rel. tr. 5. l. 3. c. 16)

IV. Nulla obligatio oritur e juramento quo quis promittit rem etiam leviter malam, puta donationem prodigam: quia nemo se obligare potest ad rem quam aliunde vitare debet. Quod S. Alph. (n. 176) extendit ad res quae prohibeantur lege etiam mere poenali, puta civili. Idem dicendum si quis jurat rem vanam, inutilem aut indifferentem, quae neque ex fine, neque ex circumstantiis cohonestatur: quia Deus supponi nequit nos obligare velle ad inutilia, cum lex cujus impletio ad nihil conducit, sit, propter periculum transgressionis, vere noxia. Tandem idem valet, propter similem rationem, si quid jurasti contra consilia evangelica, ut non ingredi religionem, non dare eleemosynam, etc. Attamen juramentum in favorem tertii factum, etiamsi impediatur consilia evangelica, implendum est quotiescumque impleri potest sine peccato: unde clericus qui juravit se servitorem esse alicui ecclesiae, nequit religionem ingredi, absque juramenti relaxatione. (S. Alph. n. 177) Hoc autem restringendum videtur ad casum quo tertius ille, per promissionem acceptatam, jus aliquod acquisiverit. (Ball. P. n. 85) Secus enim non